OFFICIUM PASSIONIS D.N. JESU CHRISTI RECITANDUM FERIA TERTIA...

Chiesa cattolica

OFFICIUM
PASSIONIS
D. N. JESU CHRISTI
RECITANDUM

Feria tertia post Dominicam Sexagesimæ

EX INDULTO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PP. VI.

pro Diæcesi Montis Ilcini
Sub Ritu duplici.



SENIS MDCCLXXVIII.

TYPIS VINCENTII PAZZINI CARLI ET FILIORUM.

OFFICIUM PASSIONIS D. N. JESU CHRISTI

DUPLEX

Ad Vesperas.

Antip. Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. *cum reliquis, ut in Veſperis Feria quinta in Cæna Domini.*

Capitulum Philip. 2.

FRatres hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Deo gratias.

HYMNUS.

MÆrentes oculi ſpargite lacrymas,
Et luctu reſonent intima cordium,
Illatas refero Numini ab impiis
Pœnas & fera vulnera.
Accincta heu! gladiis turba ſatellitum
Arreptum Dominum fuſtibus impetit,
Nunc cædit colaphis, nunc quatit orridis
Divinum Caput ictibus.
Haud finis ſceleri: traditur improbo
Chriſtus Carnifici; nec mora, barbarus
In Regem ſuperum non timet, impio
Auſu, vertere dexteram.
Audite o Populi, Numen amabile,
Manante ex hnmeris, undique ſanguine,
Lictoris rabidi ſuſtinet impetum,
Et vocem premit innocens.
Quis non illacrymet! Jam nova condidit;

Tormenta indomitæ Gentis iniquitas,
Infigit cerebro; proh dolor! efferis
Sertum vepribus asperum.
Heu crimen! trahitur, funibus improbis,
Funesti Dominus supplicii ad locum,
Illic oppetiit funere spiritum
Patri restituens suo.
Passo pro miseris tam fera vulnera,
In terris resonet debita gloria;
Sacrumque assidue Nomen in æthera
Humanum genus efferat. Amen.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.
℟. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Magnificat.

Antip. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti: Concede propitius, ut, sicut Commemorationem Passionis ejus celebramus, ita, & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem Dominum nostrum &c.

Ad Complet. & per Horas diei, in fine Hymnorum dicitur.

Sit laus Patri, ac Paraclyto,
Natoque Patris unico,
Nostræ dedit, qui prodigus
Pretium salutis sanguinem.
Amen.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Christum Regem Crucifixum * Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus &c.

HYMNUS.

ASpice infami, Deus ipse ligno.
Pendet, effuso madidus cruore,
Aspice immiti manus alma clavo.
Finditur alte.
Hunc, velut pravi sceleris ministrum,
Inter indignos medium latrones,
Cerne: crudelis fuit ista gentis
Dira voluntas.
Pallet heu! vultus; caput ecce lassum
Flectitur: clausis oculis, Redemptor
Spiritum, sacro meritis onustum,
Fundit ab ore.
O cor, æs durum superas, gemendo,
Ni scelus tergas, tua culpa Christum

Sti-

Stipiti affixit: tua culpa morti
Subdidit atræ.
Sit Deo æternum decus omne in ævum,
Qui pius nostri generis Redemptor,
Criminis labem miseris nocentem
Sanguine, tersit.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Psal. 2.

QUare fremuerunt gentes, * & populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum * adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum, * & projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos, * & Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * & in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, * & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * & tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, * & exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * & pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Ant. Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Ant. Multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Psal. 3.

DOmine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine, susceptor meus es: * gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi; & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum, * & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum me fac Deus meus

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa; * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * & super populum tuum benedictio tua.

Ant. Multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Ant. Diviserunt sibi vestimenta mea. & super vestem meam miserunt sortem.

Psal. 21.

Deus Deus meus, respice, in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: * & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * Laus Israël.

In te speraverunt Patres nostri: * speraverunt, & liberasti eos.

Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: * in te speraverunt, & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, & non homo: * opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, & moverunt caput.

Speravit in Domino. eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qni extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meæ: In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens, & rugiens.

Sicut aqua effusus sum: * & dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: * & in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, & pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea:

Ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea,

& su-

& super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam: * & de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * & a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israël: * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me: * & cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, & convertentur ad Dominum * universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus, * universæ familiæ Gentium.

Quoniam Domine est regnum: * ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt, & adoraverunt: * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * & semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * & annuntiabunt cœli justitiam ejus, populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Ant. Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Romanos.

cap. 5. & 6.

Lectio I.

COmmendat charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus: secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus, in vita ipsius. Non solum autem, sed & gloriamur in

Deo, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus: Si enim, unius delicto, mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per Jeſum Chriſtum. Tu autem &c.

℟. Vinea mea electa ego te plantavi, dicit Dominus & tu facta es mihi nimis amara; * quia paraſti Crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contriſtavi te? reſponde mihi. Quia paraſti &c.

Lectio II.

IGitur, ſicut, per unius delictum, in omnes homines, in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam, in omnes homines in juſtificationem vitæ: Sicut enim, per obedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita, & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi. Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia, ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet, per juſtitiam, in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Tu autem &c.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerſo Pharaone in mare rubrum, & ante te præivi in columna nubis: * & tu me tradidiſti Principibus Sacerdotum, & me duxiſti ad Prætorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contriſtavi te; reſponde mihi. & tu me tradidiſti &c.

Lectio III.

QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit: qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus, in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo, per Baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis, per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus: ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus; ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam vivemus

cum

eum Christo. Tu autem &c.
℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum, cum primogenitis suis; * & tu me flagellatum tradidisti, qui tanquam Agnus, coram tondente se obmutui, & non aperui os meum.
℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me. Gloria Patri &c. Qui tanquam Agnus &c.

IN II. NOCTURNO

Ant. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen ejus?

Psal. 40.

BEatus qui intelligit super egenum, & pauperem, * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, & vivificet eum; & beatum faciat eum in terra, * & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi Domine miserere mei, * sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi, * quando morietur, & peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur, * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * & loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei, * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: * numquid qui dormit non adjiciet, ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, * & retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me, * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti, * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israël a sæculo, & usque in sæculum, * fiat, fiat.

Ant. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen ejus?

Ant. Alieni insurrexerunt in me, & fortes quæsierunt animam meam.

Psal. 53.

DEus in nomine tuo salvum me fac; * & in virtute tua judica me. Deus

Deus exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei,

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam; * & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * & Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis,* & in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * & super inimicos meos despexit oculus meus.

Ant. Alieni insurrexerunt in me, & fortes quæsierunt animam meam.

Ant. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Psal. 55.

MIserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo; * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die, * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo;* ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi,* non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur, * adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt, & abscondent, * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi: * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut & in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacumque die invocavero te: * ecce cognovi, quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: * in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua: * quæ reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Ant. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

℣. Pro-

℣. Proprio Filio ſuo non perpercit Deus.
℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 41. Domin. in palmis de Paſſione Domini.

Lectio IV.

ADmonet nos, Fratres chariſſimi, ad ſolemnitatem Dominicæ Paſſionis ipſe, in quo eam, nec muta elementa tacuerunt. Celebret eam lux fidei, linguis hominum, quam conclamaverunt etiam ſilentia tenebrarum. Dominus noſter in ſtatera Crucis pretium noſtræ ſalutis appendit, & una morte univerſum mundum, ſicut omnium conditor, ita omnium Reparator abſolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas inſignis prætii ſupergreſſa eſt. Inter redemptum, & redimentem diſpenſatio fuit, compenſatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata propria, digne delevit aliena. Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, ut omnes levaret, & quia debitum ſolus non habuit, recte fenus miſericordiæ pro debitoribus erogavit. Tu autem &c.

℟. Ego propter te Chananæorum Reges percuſſi, & dedi tibi ſceptrum regale; * & tu dediſti capiti meo ſpineam coronam, & percuſſiſti arundine caput meum.
℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contriſtavi te? reſponde mihi. – Et tu dediſti capiti meo.

Lectio V.

PErpende inter hæc, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem a nobis ſit exacturus uſuram. In hac itaque die fides propheticæ annunciationis impleta eſt, ita dicentis: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti a fæditate ſputorum. Suſcepit mala noſtra, ut tribueret bona ſua. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus ſit ante culpam, quem ſic diligit poſt ruinam. Agnoſce, homo, quantum valeas, & quantum debeas; & dum tantam redemptionis tuæ perſpicis dignitatem, ipſe tibi indicito peccandi pudorem: Ecce, pro impio pietas flagellatur, pro ſtulto ſapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur juſtitia pro iniquo, miſericordia affici-

tur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto. inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Tu autem &c.

℟. Ego duxi te per desertum, quadraginta annis, & manna cibavi te; * & tu me cæcidisti alapis, & flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? rresponde mihi - Et tu me.

Lectio VI.

EXpavit scelus hominum natura rerum, & quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, & cœli Regem Sol fugiens confitetur. Clamyde coccinea induitur, quia sanguine Martyrum suorum Ecclesiæ corpus ornatur. Corona spinea capiti ejus imponitur, quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione Redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc è diverso, ut membrorum vita Capitis sit corona Quod vero sitire se in Cruce positus dicit, fidem incredulæ gentis concupiscit; sed è contra acetum malitiæ porrigunt, quia vinum sapientiæ, quod a Deo acceperant, peccando corrumperant. Velum templi scinditur, quia Sinagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, Ecclesiæ unitas præmonstratur. Monumenta aperiuntur, quia mortis jura, jure superantur. Tu autem &c.

℟. Ego exaltavi te, magna virtute: * Et tu me suspendisti in patibulo Crucis, * In qua expandi manus meas ad Populum non credentem, & contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi - Et tu me - Gloria Patri &c. In qua.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Filii hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Psal. 65.

MIserere mei Deus, miserere mei: * quoniam in te confidit Anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo: * donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: * Deum qui benefecit mihi.

Misit de Cœlo, & liberavit me: * dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit deus misericordiam suam, & veritatem suam: * & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii

Filii hominum dentes eorum arma, & sagittæ: * & lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super Cœlos Deus: * & in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: * & incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: * & inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: * cantabo, & psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium; & cithara; * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: * & psalmum dicam tibi in Gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad Cœlos misericordia tua: * & usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super Cœlos Deus; * & super omnem terram gloria tua.

Ant. Filii hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Antip. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psal. 63.

EXaudi Deus Orationem meam cum deprecor; * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, & non timebunt, * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos; * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum, * & exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, * & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, * & timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * & facta ejus intellexerunt.

Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo * & laudabuntur omnes recti corde.

Antip. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antip. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Psal. 87.

DOmine Deus salutis meæ, * in die clamavi, & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum; * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis, & in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * & omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, & non egrediebar: * oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te Domine tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia: * aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: * & veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: * & justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te Domine clamavi * & mane oratio mea præveniet te.

Ut quid Domine repellis orationem meam; * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ, * & terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die; * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, & proximum, * & notos meos a miseria.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

℣. Factus est obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem Crucis.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 19.

IN illo tempore sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura dixit: Sitio. Et reliqua.

Ho-

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Hom. 84. in cap. 19. Joannis ante medium.

SCiens Jesus omnia consummata, ait, Sitio: Etiam hoc verbo prophetiam implens. Tu autem adstantium pravitatem intellige; nam licet innumeros habeamus inimicos, qui nos gravissime persequuti sint, cum tamen interimi eos videmus, flectimur misericordia. Hi vero nil moti, magis efferantur, & irrident, acetumque in spongia porrigunt ut bibat tamquam reus: Nam propter hoc hyssopum additur, quo gustato, mortuus est. Vides quam non perturbate, & quam potenter omnia transigentem? Quod & prosequens ostendit; cum enim omnia consummata essent, inclinato capite, quod affixum non erat, tradidit spiritum, hoc est expiravit. Tu autem.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle, & aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu &c.

Lectio VIII.

ATqui non post inclinatum Caput expiratur; sed post expirationem Caput inclinatur. Hic autem contra accidit, per quod ostendit eum Evangelista esse omnium Dominum. Judæi autem Camelum devorantes, & culicem excolantes, tantum nefas ausi de die consultant: Quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce Corpora Sabbatho, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum Crura. Vides quanti sit veritas? Per ea, quæ illi faciunt prophetia impletur, alia enim ex hoc manifestata est: Venerunt ergo Milites, & aliorum fregerunt Crura, non Christi; sed ad Judæorum gratiam conciliandam latus ejus lancea aperuerunt, & mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem scelestissimam! Tu autem.

℟. Ego ante te aperui mare: * & tu aperuisti lancea latus Salvatori tuo * Qui redemit Mundum in Sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu aperuisti: Gloria Patri: Qui redemit Mundum.

Lectio IX.

NOli tamen perturbari, dilectissime, quæ enim, malo illi animo patrarunt, veritati consentiebant. Prophetia hinc impleta est, inquiens

quiens, videbunt in quem transfixerunt. Neque hoc tantum, ſed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomæ, & qui cum eo erant. Ad hæc & arcanum myſterium conſummatum eſt, exivit enim Sanguis, & Aqua; non caſu, & ſimpliciter hi fontes ſcaturierunt: Sed quoniam ex ambobus Eccleſia conſtituta eſt. Sciunt hoc initiati, per aquam enim regenerati, Sanguine, & Carne nutriti, hinc myſteria ortum habent, ut quoties ad admirandum Calicem, accedis tamquam ab ipſo latere hauriens accedas. Tu autem.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas Antiph.

FUi flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. *Pſalm.* Dominus regnavit *cum reliquis de Dominica*.

Ant. Veni ad Montem myrrhæ, & ad Collem thuris; tamquam Agnus ad occiſionem ductus, obmutui, & non aperui os meum.

Ant. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea.

Ant. Conſolantem me quæſivi, & non inveni: Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.

Ant. Cum accepiſſet Jeſus acetum dixit: Conſummatum eſt, & inclinato capite, emiſit Spiritum.

Capitulum. Ad Philip. 2.

FRatres, hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Deo gratias. HYMNUS.

SÆvo dolorum turbine,
Jactatur, atris obrutus
Pœnis, acerba ſuſtinens.
Redemptor affixus Cruci.

Pedes, manuſque, horribili
Clavi cruentant vulnere;
Cor, vultus, artus, pectora,
Sacro redundant Sanguine.

Flet, orat, & clamans obit:
Cor Matris ictum concidit:
Heu mater! Heu Fili! dolor
Ingrata frangat pectora.

Montes, ſepulchra, ſaxaque,
Scinduntur; arva, flumina,
Rupes, & æquor contremunt,
Templique velum ſcinditur,

Sol, luna, cælum, ſydera
Plangunt, & orbis ingemit:
O vos viri, vos parvuli,
Nuptæ, puellæ plangite.

Adſtate mærentes Cruci.
Pedes beatos ungite,
Lavate fletu, tergite
Comis, & ore lambite.
Tu charitatis victima,
Ut noſtra tollas crimina,
Nobis ſalubri perficis
Adoptionem Sanguine.
Noſtra ergo pax, & gaudium
Sis vita, Jeſu, & prœmium;
Sis ductor, & lux in via,
Merces, Corona in Patria.
Amen.

℣. Ipſe vulneratus eſt, propter iniquitates noſtras.

℞. Et attritus eſt propter ſcelera noſtra.

Ad Benedictus Antiph.

Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus Crura; ſed unus Militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit Sanguis, & Aqua.

Oratio Omnipotens ſempiterne Deus, *ut ſupra*.

Ad primam in ℞. brevi dicitur.

℣. Qui pro nobis pati dignatus es: *Et ſic per totam Octavam etiam in feſtis.*

Ad Tertiam Ant. Veni ad montem Myrrhæ.

Capitulum Fratres hoc enim ſentite in vobis, *ut ſupra*.

℞. *brev.* Oblatus eſt * quia ipſe voluit: Oblatus.

℣. Et livore ejus ſanati ſumus: Quia ipſe voluit. Gloria Patri: Oblatus eſt.

℣. Proprio Filio ſuo non pepercit Deus.

℞. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Ad ſextam Ant. Foderunt manus meas.

Capitulum Zacch. 13. 6.

QUid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet, his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.

℞. *brev.* Proprio Filio ſuo * non pepercit Deus: Proprio Filio.

℣. Sed pro nobis omnibus tradidit illum: Non pepercit Deus.

Gloria Patri: Proprio Filio.

℣. Factus eſt obediens uſque ad mortem;

℞. Mortem autem Crucis.

Ad Nonam Ant. Cum accepiſſet Jeſus.

Capitulum Iſai. 53. 1.

GEnerationem ejus quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viventium, propter ſcelus populi mei percuſſi eum.

℞. *brev.* Factus eſt obediens * uſque ad mortem: Factus eſt.

℣. Mortem autem Crucis Uſque ad mortem. Gloria Patri: Factus eſt.

℣. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.

℞. Et attritus eſt propter ſcelera noſtra.

In II. Vesperis omnia ut in primis præter sequentia.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Magnificat Ant.

Deponens Joseph Corpus Jesu involvit Sindone, & posuit eum in monumento exciso: fuit planctus magnus illa die: Mulieres autem sedentes contra sepulcrum dolebant, sicut doleri solet in morte Primogeniti. *Oratio:* Omnipotens sempiterne Deus, *ut supra*.

MISSA.

Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus &c. *ut in Missa votiva de Passione Domini Nostri Jesu Christi, excepta prima Oratione, quæ dicitur ut in Officio.*

FINIS.

ILCINEN.

CHristo in Carne passo nos eadem cogitatione armari debemus, & jugi meditatione Dominicam Passionem recolere præstat. Quo circa cum in Civitate, & Diœcesi Ilcinen. ferveat hujuscemodi devotio erga Christi Domini Passionem, ad eamdem firmandam, augendamque Reverendissimus hodiernus Episcopus dictæ Civitatis SS. Domino Nostro Pio Papæ VI. humillimè supplicavit, quatenus Officium proprium cum Missa de Passione ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, jam ab eodem SS. Domino Nostro die 10 Januarii 1776. pro Congregatione Clericorum Excalceatorum SS. Crucis, & Passionis adprobatum, ad Clerum Secularem, ac Regularem prædictæ Civitatis, & Diœcesis extendere dignaretur; & Sanctitas Sua, ad relationem per me Infrascriptum Secretarium factam, gratiam petitam pro feria tertia post Dominicam Sexagesimæ sub Ritu duplici majoris præfato Clero benignè concessit, & pro Traslatione Festorum eo die forsan occurrentium, serventur Rubricæ Die 15. Januarii 1777.

M. Card. Marefuscus Præf.

M. Gallo S. R. C. Secretarius.